

Sed pœna adulterini concubitus tota est contra delinquentem conjugem. Pœna autem hæc juxta canones duplex est. Prima pœna est ut delinquens conjux amittat jus petendi debitum conjugale; cap. 1. h. t.

8. Secunda pœna est ut idem conjux delinquens privetur jure contrahendi matrimonium cum alia qualibet persona, etiam post solutum matrimonium quo actu ligatur.

Quare impedimentum inductum fuit ita, ut delinquenti conjugi absolute interdiceretur novum matrimonium. Capp. 1. 2. et 8. h. t.

Verum ipsa Glossa ad cap. 1. h. t. v. *copulare* notavit: 'Si tamen contraherent matrimonium tenet.' Unde impedimentum erat solummodo impediens. Sed præterea animadvertunt Doctores, hanc secundam pœnam impedimenti prohibentis novum matrimonium in desuetudinem abiisse, nec necesse est petere dispensationem quando post solutum matrimonium ob mortem conjugis innocentis pars, quæ deliquit, novum conjugium inire cupiat cum persona non consanguinea conjugis innocentis præmortui.

9. At cum pœna hæc scripta sit in corpore juris, potest urgeri et injungi tamquam conditio in dispensatione quæ datur ad petendum debitum conjugale. Scilicet in S. Pœnitentiaria et in Dataria Apostolica mos invaluerat, ut quando exposceretur dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad petendum debitum conjugale, hæc dispensatio concederetur cum onere non transeundi ad alias nuptias, post solutum actuale matrimonium.

Verum praxis S. Sedis in hac re mutata est, et non amplius præfatum onus imponitur.

Relate autem ad primam pœnam adulterinæ copulæ unius conjugis cum persona consanguinea alterius conjugis, idest relate ad impedimentum superveniens affinitatis, post contractum matrimonium, Doctores referunt resolutionem S. Congregationis Concilii probatam a Gregorio XIII., qua declaratum est, contrahi hoc impedimentum a conjuge delinquente solummodo, quando copulam carnalem habuerit cum persona consanguinea alterius conjugis in primo gradu, vel in secundo gradu consanguinitatis, non autem in ulteriori. Ratio est quia affinitas in hypothesis considerata est, ceu affinitas orta ex copula illicita, in qua Concilium Tridentinum sustulit tertium et quartum gradum.

Tandem hæc fieri potest animadversio. Dispensatio ab impedimento affinitatis ex copula illicita ad debitum conjugale petendum, rigore loquendo poscenda esset a S. Pœnitentiaria, si crimen copulæ sit occultum, si crimen sit publicum, ab Apostolica Dataria. Attamen providere solet S. Pœnitentiaria etiam in casibus impedimenti publici.

TITULUS XIV.

De consanguinitate et affinitate.

I. De consanguinitate.

1. Consanguinitas in jure nostro cum aliqua differentia accipitur ac sumitur a jure civili. Nam jure civili consanguinitas potius complectitur cognatos, idest masculos descendentes ex masculis, necnon fœminas quæ per masculos nobis junguntur vinculo sanguinis. Jus canonicum sub nomine consanguinitatis complectitur cognationem, quæ ex quacumque participatione sanguinis, sive per masculum sive per fœminam derivat.

2. Consanguinitas ergo definiri potest '*Vinculum personarum, quæ ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo per carnalem generationem descendunt.* Additur '*eoque propinquo*', ut excludatur stipes remotus, secus enim consanguinitas nimium posset extendi, immo omnes homines possent consanguinei appellari, quia ab eodem Noe, vel Adam originem ducunt.

In consanguinitate considerantur *Linea, gradus, stipes.*

3. Stipes est persona, sive masculus sive fœmina, a qua velut a proximiori principio communi descendunt personæ de quarum consanguinitate quæritur.

4. Gradus est distantia unius personæ ab alia in ordine ad consanguinitatem. — Linea est ordinata series personarum ab uno stipite descendentium per varias generationes.

Linea alia est *recta*, alia *obliqua seu transversalis*. Linea recta est successio personarum, quarum una ab altera descendit, idest quarum unaquæque est genita relate ad personam immediate superiorem, est vero generans quoad personam immediate inferiorem.

5. Hæc vero linea dicitur *descendentalis*, vel *ascendentalis*, prout considerentur personæ a Titio descendentes, ex. gr. filius, nepos,

pronepos, abnepos etc.; vel considerentur personæ Titio superiores, nempe ejus pater, avus, proavus, abavus etc.

6. *Obliqua* linea continet personas, quæ consanguineæ solummodo sunt quia ab eodem stipite vel mediate vel immediate derivant. Ex. gr. duo fratres, duo nepotes, pronepotes etc. Hæc vero linea obliqua dicitur vel *æqualis* vel *inæqualis*, prout personæ consanguineæ æqualiter vel inæqualiter distant a communi stipite.

7. Quoniam consanguinitas æstimanda est pro diversa distantia a stipite ex quo ortum habet, hinc quæritur quomodo computetur hæc distantia, idest quomodo gradus consanguinitatis computandi sint. In linea recta Jus Canonicum sequitur Jus Civile, et statuit, 'tot esse gradus quot sunt generationes'. Unde 'tot sunt gradus quot sunt personæ, dempto stipite.' Quare filius a patre suo uno gradu distat, nepos ab avo duplici distat gradu.

8. In linea autem collateralis Jus Canonicum non recipit civilem computationem. Nam Jus Civile etiam in hac linea consideravit generationes, et tot gradus distinxit quot sunt generationes. Hinc duo fratres sunt in secundo gradu, duo consobrini in quarto, quia in primo casu binæ intervenerunt generationes, quatuor autem in secundo casu.

Jus autem Canonicum considerat solummodo unam lineam, et si lineæ non sint æquales, considerat longiorem. Hinc regula est: In linea collateralis seu obliqua tot sunt gradus, quot sunt personæ in linea longiori, idest duo collaterales in linea æquali tot gradibus distant inter se quot gradibus unus ex illis distat a communi stipite. In linea vero inæquali tot gradibus personæ distant inter se, quot remotior distat a stipite. Quare frater et soror sunt in primo gradu lineæ collateralis æqualis; consobrinus et consobrina in secundo; patruus et neptis pariter sunt in secundo gradu lineæ obliquæ inæqualis, quia neptis duobus gradibus distat ab avo, qui est stipes communis.

9. Quæritur quomodo consanguinitas matrimonium dirimat.

Consanguinitas in linea recta matrimonium dirimit in infinitum, quia reverentia parentibus debita impedit quominus matrimonium consistere possit; et quidem si de primo gradu sermo sit, matrimonium dirimit non solum ex jure Ecclesiastico et Civili, sed etiam ex ipso jure naturali. Nam ratio principii præsertim proximi naturalem instinctum inducit, ob quem personæ alio vin-

culo amoris naturaliter colligatæ, conjugalem amorem fovere nequeunt honeste.

10. Quod si sermo sit de linea collateralis, jure antiquo matrimonium dirimebatur inter consanguineos usque ad septimum gradum inclusive. *Cann. 7. et 17. c. 35. q. 1.* Hæc disciplina Ecclesiæ extendendi impedimenta ad gradus valde remotos, sapiens admodum fuit, habita præsertim ratione temporum. Etenim cum bella intestina vexarent finitimas civitates et oppida, opportunum fuit cogere cives unius oppidi ad nuptias ineundas cum civibus alterius oppidi, ut per matrimonium quod est medium dilatandi charitatem, et conciliandi unionem familiarum, pax inter populos foveretur.

Verum tractu temporis cognitum est, non amplius absque præjudicio animarum posse exigi observantiam præfatæ disciplinæ. Quare jus antiquum correctum est ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV., cujus dispositio legitur in cap. 8. h. t.

In hoc decreto Concilii statutum est, in linea obliqua impedimentum consanguinitatis coarctatum esse ad quartum gradum inclusive, ita ut ultra quartum gradum possit matrimonium valide et licite contrahi. Unde patet limitationem impedimenti pendere ex determinatione Juris Ecclesiastici. In qua limitatione facta a septimo ad quartum gradum inclusive vera ratio limitationis fuit dispendium animarum, quod, experientia teste, ex extensione impedimenti ad septimum usque gradum derivabat.

Præter hanc rationem Concilium et aliam adducit deductam ex quatuor humoribus corporis humani.

Hæc autem secunda ratio quæ potius est exornativa quam formalis, pluribus visa est ridicula, et in dedecus legislationis Ecclesiasticæ verti solet.

Nos vero arbitramur optime posse decretum Lateranense a quavis ignorantia et levitatis nota ex hac parte purgari.

Et primo quidem animadvertimus, caput 8. hujus tituli non exhibere rescriptum Pontificis cappellani alicujus manu exaratum, bene vero referre decretum solemne Concilii Generalis sub sapientissimo Pontifice Innocentio III. celebrati. Unde macula ignorantia et levitatis tam facile admitti non potest.

Cur ergo ad quatuor humores corporis humani appellarunt Patres Lateranenses?

Respondeo: Quia eo tempore hæc de quatuor humoribus corporis humani theoria recepta erat inter physicos Doctores, et invocari potuit a Patribus Concilii, ut fideles facilius reciperent decretum Conciliare, quod videbant communi de corporis humani elementis theoriæ consentaneum. Opportunum autem est leges disciplinares coordinare cum notionibus et principiis communiter receptis.

11. Quæritur quo jure dirimat matrimonium consanguinitas inter collaterales.

Profecto si sermo sit de secundo, tertio et quarto gradu cognationis carnalis, impedimentum consanguinitatis matrimonium dirimit jure Ecclesiastico. In hisce enim gradibus dispensatio Ecclesiæ admittitur. *Cap. 5. sess. 24. Reform. Matr. in Trident.*

12. Certum vero esse videtur, in primo gradu matrimonium non dirimi ex solo jure Ecclesiastico. Nam 1º. fere omnes gentes abhorruerunt a matrimonio inter fratrem et sororem. Si quis autem populus hoc conjugium admisit, ceu populus barbarus fuit reprehensus. Hinc 2º. Pontifex in *Cap. 8. de divortiis*, decrevit infideles conversos ad fidem non esse separandos, si in secundo vel ulterioribus gradibus consanguinitatis conjuncti matrimonium contraxerint; rationemque addit, quia infideles non ligantur legibus Ecclesiæ. A sensu ergo contrario capitis infertur esse separandos infideles conversos ad fidem, si matrimonium contraxerint in primo gradu consanguinitatis, quia impedimento ligantur quod est infidelibus commune, idest quod non procedit ex mera lege Ecclesiastica, quæ infideles non obligat. 3º. Rem confirmat factum negativum in Ecclesia, quæ numquam dispensavit in impedimento primi gradus consanguinitatis lineæ transversalis. Hinc Concilium Tridentinum in cit. cap. 5. dum loquitur de dispensatione in impedimento consanguinitatis, quæ ab Ecclesia concedi potest, absolute incipit a secundo gradu. Ergo impedimentum hujusmodi non est solum juri Ecclesiastico tribuendum, sed est impedimentum juris superioris.

13. Et quidem juxta plures cum Sanchez, impedimentum hoc est juris naturæ; juxta alios est juris positivo-divini. Et quidem videtur esse juris positivo-divini quia ab ipso mundi initio necesse fuit ut matrimonium contraheretur inter fratrem et sororem. Factum igitur ipsum naturalis propagationis humani generis regit hoc matrimonium. Ergo jus naturæ illud non interdicat, secus

enim eadem lex statim ab initio suspendi, aut dispensari debuisset. Quæ suspensio vel dispensatio divina non bene componitur cum lege naturali proprièdicta, quæ cum rerum essentiis innitatur est immutabilis. Quare potius dicendum est, impedimentum de quo agitur, procedere ex jure positivo-divino primo homini intimo, cujus vis et obligatio incipere debebat ab Adæ nepotibus, post sublatam rationem contrariam primæ propagationis generis humani.

II. De affinitate.

14. Affinitas definitur '*Propinquitas personarum ex carnali copula, eaque perfecta et consummata proveniens.*'

Licet *affinitatis impedimentum* imitetur indolem publicæ honestatis, tamen affinitas est aliquid amplius quam publica honestas, nam oritur ex aliqua sanguinis commixtione. Quare in jure requiritur copula carnalis *completa*, ea nempe, quæ per se est apta et sufficit ad generationem proles. Hinc copula inchoata aut alii tactus impudici non pariunt affinitatem; necesse est enim ut mulier et vir fiant una caro. *Arg. can. 1. caus. 35. q. 10.*

15. Copula esse potest vel *licita* vel *illicita*. De affinitate ex copula illicita jam egimus. In præsentis titulo sermo est de affinitate ex copula licita, de ea nempe, quæ in usu matrimonii locum habet. Quod si matrimonium contractum fuit et consummatum, et deinde declaretur nullum et irritum, conjunctio carnalis consideratur ceu copula maritalis, quia censetur posita in bona fide et affectu maritali. Hinc affinitas exinde orta, sequitur legem affinitatis ex copula conjugii legitimi.

16. Affinitas est '*propinquitas inter virum et consanguineos mulieris, et inter mulierem et consanguineos viri.*' Unde affinitas non est inter ipsum virum et mulierem, inter quos intercessit copula carnalis, sed ipsi quodammodo sunt ad invicem origo affinitatis relate ad mutuos consanguineos.

17. In affinitate autem distinguuntur *lineæ et gradus*, imitantes lineas et gradus consanguinitatis. Videlicet consanguinei in linea recta viri sunt affines mulieri in linea recta, et viceversa; consanguinei autem viri in linea obliqua sunt affines mulieri in linea collateralis seu obliqua, et viceversa consanguinei mulieris in linea obliqua sunt affines viro in linea obliqua. Pariter consanguinei viri sunt affines mulieri in eo gradu, in quo cum viro junguntur vinculo consanguinitatis, et viceversa consanguinei

mulieris in eo gradu sunt affines viro, in quo sunt consanguinei mulieris ipsius. Quare filia et mater mulieris sunt affines viro in primo gradu lineæ rectæ: soror mulieris est affinis viro in primo gradu lineæ obliquæ.

18. Jure antiquo ante Concilium Lateranense IV. triplex genus affinitatis distinguebatur. Primum genus affinitatis erat illud idem, quod exposuimus inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Secundum genus efformabatur ex affinibus in primo genere, ita ut viro essent affines in secundo genere, qui erant affines mulieri in primo genere affinitatis, et viceversa. Scilicet si vir matrimonium contraxisset cum vidua, personæ, quæ erant affines viduæ ex primo matrimonio, affines erant viro in secundo genere affinitatis. Tertium genus affinitatis constituebatur ex personis jam affinibus mulieri in secundo, quæ fiebant affines viro in tertio genere affinitatis, et viceversa. Ex. gr. supponamus primum virum viduæ, et ipsum fuisse viduum ex præmortua uxore sua, consanguinei hujus primæ uxoris erant affines in primo genere primo viro, erant affines in secundo genere novæ uxori, erant affines in tertio genere ultimo viro.

19. En exemplum. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Berta. Consanguinei Bertæ fiunt affines in primo genere Titio. Demoritur Berta. Titius contrahit et consummat matrimonium cum Seja. Consanguinei Bertæ, qui erant affines Titio in primo genere, jure antiquo fiebant affines Sejæ in secundo genere. Demoritur Titius. Seja contrahit et consummat matrimonium cum Sempronio. Consanguinei Bertæ qui erant affines in secundo genere cum Seja, fiebant affines in tertio genere Sempronio. Quare invaluerat adagium juridicum 'affinitas gignit affinitatem'.

20. Pariter affinitas jure antiquo etiam oriebatur inter liberos mulieris ex viro præmortuo habitos, et liberos viri habitos ex muliere præmortua; cui innuitur c. 5. h. t. Unde pater et filius non poterant ducere in uxorem matrem et filiam. Insuper nec duo fratres poterant ducere duas sorores. Verum Lateranen. Concilium IV. in cap. 5. et in cap. 8. h. t. omnes sustulit affinitates, et solummodo reliquit primum genus affinitatis, eam nempe quæ est inter virum et consanguineos mulieris, et viceversa. Unde sublata est antiqua regula, et contraria regula fuit eidem substituta, nempe 'affinitas non parit affinitatem'.

21. Sæculo elapso agitata est quæstio, utrum licite et valide possit consistere matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Pro sententia negativa adducebatur *lex 15. ff. De ritu Nuptiarum*, in qua expresse traditur vitricum non posse matrimonium contrahere cum uxore privigni sui; nec non afferebatur *lex 'Non facit' § 'Hoc itaque' ff. De gradibus affin.* At contra adductum est cap. 8. h. t. in quo sublatum est secundum et tertium genus affinitatis. Jam vero in casu revera agitur de secundo genere affinitatis. Nam uxor privigni est affinis in primo genere matri privigni ipsius, et proinde est affinis vitrico in secundo genere affinitatis.

Hiscæ perpensis die 8. Martii 1721 a Sacra Congreg. responsum est, non posse impediri matrimonium inter vitricum et uxorem privigni præmortui. Conferri potest Benedictus XIV. *Quæst. can.*

22. Quæritur quoadusque sese protendat impedimentum affinitatis ex copula licita.

Ante Concilium Lateran. IV. affinitas dirimebat matrimonium usque ad septimum gradum. At Innocentius III. in eodem Conc. restrinxit hujusmodi impedimentum usque ad quartum gradum inclusive. Cap. 8. h. t. Et hæc dispositio adhuc viget. Licet enim Trid. in cap. 4. sess. 24. *De Reform. Matrim.* correxerit jus antiquum, quoad affinitatem ex copula illicita, et coarctaverit impedimentum inde exortum ad secundum gradum, tamen relate ad affinitatem ex copula honesta jus antiquum in sua integritate reliquit.

23. Quo posito quæritur: 'An copula habita per consummationem matrimonii quod civile dicitur dirimat usque ad quartum gradum, vel potius solummodo usque ad secundum?' Arbitramur, solummodo usque ad secundum gradum. Ratio dubitandi ex adverso allata hæc est, quia contractus civilis habet formam conjugii, licet invalidi, unde copula exinde habita non est confundenda cum copula fornicaria de qua loquitur Concilium Trident. in sess. 24. *De Reform. Matrim. cap. 4. De Angelis, L. 4. t. XIII^o. n. 5^o.*

24. Verum hæc ratio nobis non arridet. Nam postquam Ecclesia explicite declaravit, per contractum civilem induci turpem et exitialem *concubinatum* (*Allocutio Consistorialis diei 27. Sept. 1852. Instructio S. Pœnitentiariæ. d. 15. Januarii 1866*), nemo unquam dicere poterit copulam carnalem, quæ in matrimonio civili habetur referre aliquo modo formam seu figuram copulæ honestæ,

et non esse potius vere fornicariam. Igitur cum copula hujusmodi sit vere et proprie fornicaria, affinitas, quæ inde exurgit, dici debet affinitas ex copula illicita, adeoque ea matrimonium dirimit usque ad secundum gradum.

25. Quæritur quo jure affinitas dirimat matrimonium.

In cap. XVIII. Levitici plures gradus affinitatis exhibentur, in quibus interdictum est matrimonium. Verum Synodus Tridentina in cap. 5. sess. 24. *De Reformat. Matrim.* condemnavit eos, qui dicebant Ecclesiam non posse dispensare in aliquo ex impedimentis consanguinitatis et affinitatis in Levitico descriptis. Quare Ecclesia nonnulla impedimenta ex affinitate orta suæ potestati subjecta esse censuit, adeoque censuit esse juris Ecclesiastici.

26. Et revera si sermo sit de affinitate ex linea obliqua, certi esse possumus, impedimentum inde ortum etiam in primo gradu esse juris Ecclesiastici. Nam Ecclesia sæpe dispensavit. Pariter animadverti potest legem Mosaicam jussisse, ut frater sibi assumeret uxorem fratris præmortui, ejusque semen excitaret. Quod præceptum non posset conciliari cum lege naturæ contraria, vel cum lege divino-positiva, quæ universum humanum genus obligaret.

27. Quæstio, quæ agitur maxime inter Doctores, respicit affinitatem in primo gradu lineæ rectæ. Quærent scilicet Doctores, quo jure nullum sit matrimonium inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum.

Nonnulli Doctores cum Sanchez (*lib. 7. disput. 66*) tenent matrimonium hoc dirimi ex solo jure Ecclesiastico. Alii autem docent dirimi ex jure naturali et divino.

Ratio horum Doctorum triplex est. 1^o. quia gentes instinctu naturali talia conjugia reprobarunt. Hinc Paulus in I^o. Cor. c. 5. dicere non dubitavit: 'Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat'.

2^o. Quia in jure privignus vel privigna, relate ad novercam vel vitricum habentur in loco filiorum. *can. 15. cap. 35. q. 3.*

28. 3^o. Quia Ecclesia in primo gradu affinitatis lineæ rectæ nunquam dispensavit.

29. Prima autem sententia suo non caret fundamento. Et sane affinitas originem habet ex copula. En origo juridica impedimenti. Hæc origo communis est tum affinitati ex copula licita, tum affinitati ex copula illicita. Ergo vis intrinseca et juridica

utriusque eadem est. Et si quæ est modificatio et limitatio unius præ alia, hæc procedit ex dispositione positiva Ecclesiæ, quæ respectum habet ad honestos mores et familiarum decus. Atqui Ecclesia dispensavit et dispensare solet in primo gradu lineæ rectæ affinitatis ex copula illicita. Ergo Ecclesia potest rigore juris dispensare in primo gradu affinitatis etiam ex copula licita.

30. At cur non fecit? — Quia ratio decentiæ et publicæ opinionis non consulit. At aliud est quod non expediat aliquid facere, aliud est quod non habeatur jus ad aliquid faciendum. Quare S. Sedes quando negat dispensationem ab impedimento affinitatis in primo gradu lineæ rectæ ex copula licita, hanc formulam habet: 'Ecclesia super hoc impedimento non dispensat', non autem dicit non posse dispensare, aut alia hujusmodi.

31. Neque contrarium probat relatio intercedens inter vitricum et privignam, et inter novercam et privignum, nam relatio hæc est fictitia et legalis, non autem naturæ. Sane non raro inter istas personas non excitatur amor paternus, vel maternus, et relativus amor et veneratio filialis.

32. Quoad vero gentium mores, quibus conjugium de quo agitur reprobat, animadvertunt exinde solummodo probari quamdam indecentiam, non autem veram repugnantiam conjugii cum stricto jure naturæ.

33. Relate autem ad textum Paulinum animadvertunt, Paulum indignatione exarsisse, quia privignus uxorem patris sui *adhuc viventis*, tamquam suam retinebat. Quod inferunt ex cap. 7. Ep. II. ad Cor. v. 12; ubi Paulus alludens ad incestuosum Corinthium, meminit de injuria, quæ certe non nisi patri viventi proprie irrogari poterat.

Si admittatur hæc secunda sententia, impedimentum affinitatis in tota sua extensione est impedimentum juris Ecclesiastici.

TITULUS XV.

De frigidis et maleficiatis, et de impotentia coëundi.

1. Agitur in titulo de *impotentia impedimento*. Impotentia est *'inhabilitas ad habendam copulam carnalem perfectam'*. Copula autem perfecta ea est quæ per effusionem virilis seminis in vas mulieris de se capax est generationem operandi.